

minum & metam præficienti ita visum sit, qui innocentes & optimas quasq; animas præ aliis ad beatam illam vitam traducit: abjiciamus nos subter omnipotentem DEi manum, neq; solum dolorem ex obitu ejus perceptum, sed etiam memoriam nominis virtutumq; celebrationem communem nobis omnibus esse sinamus.

Atq; utinam illi tantus præco in hoc supremo honore contigisset, qualem virtutem & dignitatem ejus deprecere, omnes intelligitis! nunc ego inventus sum, non electus ex omnibus, qui optimè possem, sed relictus unus, cui omne studium subjectissimæ operæ & debitæ gratitudinis à me paratum esset: neq; ut ille pro virtutum & rerum gestarum magnitudine laudatus: sed ne plane in hoc nostro gymnasio indictus atq; illaudatus mansisse diceretur. Cur vero illud non sit maturius factum, causa hæc est, quod inopinato hoc obitu hebetiores redditæ fuerint animi mei cogitationes, incitatioq; pristina resederit, quam cum tempore elicere debui.

Quamquam autem permulta sunt, quæ de tam incomparabili Rege dici possent: neq; enim quisquam vestrum existimet, me infinitas ejus laudes aut unius horæ aut orationis ambitu circumscribere posse: tamen ex infinito laudum cumulo capita modò rerum & fastigia decerpam breviter, & delibabo: & cum primis illa urgebo, quæ in *GVSTAVO* tanquam propria & singularia dona enituerunt ac effulserunt. Insistam vero vestigiis antiquorum & disertorum hominum, qui hujus generis lau-

ris lau-